

Qui enim eiusmodi intelligentiam vel impossibilem vel inutilem diceret, clare loqueretur contra explicitam atque solemnem doctrinam c. Vaticani I: "Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie, ^{sobrie} ~~serve~~ quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo...." (DB 1796, cf. 1781).

Suadetur deinde qualis sit haec analogia per viam exclusionis. Uti enim supra dictum est, similitudo divinae processio est ~~propri~~ ~~per~~ processio per modum naturae spiritualis proprie a nobis cognitae; neque ad eam determinandam plus praebet metaphysica generalis quam schema quoddam quasi ~~manu~~ vacuum per processionem quamdam spiritualem ulterius determinandum.

Suadetur tertio hanc processionem spiritualem esse emanationem intelligibilem quia, tali suppositione facta, consequitur consubstantialitas emanantis, salvatur realitas emanationis, positive concipitur processio per modum operati, specificè concipi possunt duae processiones divinae, quae ~~ut~~ tamen, uti exigit c. Vaticanum I, a nobis non intelliguntur nisi analogice, imperfecte, obscure.

~~Confirmatur~~ Quarto, confirmatur emanationem intelligibilem esse similitudinem divinae processiois ex consecrariis quae in reliquo hoc opere exponentur. Quae enim est divinae processiois intelligentia, eadem etiam est relationum, personarum, proprietatum, actuum notionalium, atque missionum. Quare in sequentibus semper a se lector quaerat utrum consecraria huius analogiae cum doctrina fidei congruant, utrum doctrinam fidei illustrent an potius obscurant. Quoties autem congruentiam inveniat atque illustrationem ~~per~~ potius quam obsecrationem, praesens assertum habeat confirmatum.

ipsa mysterii obscuritas mentem nostram fere cogit in miram illam atque, uti opinor, erroneam sententiam quae neget plus de divina perfectione ~~sed~~ in theologia dogmatica cognosci quam in theologia naturali.

4. Analogica haec et imperfecta et obscura divinae processionis intelligentia conceptioque vera esse agnoscitur ~~non potest naturaliter~~ (1) non quia naturali rationis lumine demonstratur, (2) neque quia e fontibus theologicis stricte deducatur, sed (3) quia principium plenioris intelligentiae existens multipliciter suadetur, confirmatur, defenditur.

Hactenus supposuimus qualis sit divina processio. Nunc vero quaerendum est utrum re vera existat similitudo inter processionem divinam et quam in nobis experimur emanationem intelligibilem.

Et in primis existentia huius similitudinis per ~~rationem~~ naturale rationis lumen non determinatur. Nam divina mysteria nisi divinitus revelata nobis innotescere non possunt (DB 1795); suapte natura intellectum creatum excedunt (DB 1796); per rationem rite excultam e principiis naturalibus neque in se intellegi neque ex effectu demonstrari ~~non~~ possunt (DB 1816); uti ~~supra~~ in parte dogmatica *exponitur.* ~~prima, thesi quinta, exposuimus.~~ Quod vero de ipsis misteriis agnoscitur, idem de comparatione mysteriorum cum aliis agnosci debet. Quam ob causam, etsi ipsam in nobis emanationem intelligibilem naturaliter cognoscamus (DB 1796), similitudinem eiusdem ad divinas processionem nisi ^{secundum} ~~per~~ documenta fidei ~~per~~ ^{per} et rationem fide illustratam iudicare non possumus.

Deinde, aliter alia secundum documenta fidei iudicantur. Modo enim ex veris cognitis alia vera stricte et proprie deducimus. Modo autem ex multis et diversis indiciis ad ipsa invenienda principia

Concipienda est per similitudinem processionis naturalis, spiritalis, et proprie a nobis cognitae, cum nulla esse possit cognitio mediata et analogica nisi quae fundetur in re immediate cognita secundum propriam suam naturam.

Similitudo ergo, ex qua proceditur ad divina concipienda, debet esse non ignota sed nota, non analogice nota sed proprie, non materialis sed spiritalis, non per modum agentis sed per modum naturae.

2. Processio divina non est vel processio operationis vel processio operati, sed dici potest per modum operati.

Cum ens dividatur per potentiam et actum, maxime generalis divisio processionum est duplex: procedit ^{vel} enim actus, e potentia vel ex actu. Sed prima, quae processio operationis dicitur, in Deo poni non potest, cum in Deo nulla sit potentia; et altera, quae processio operati dicitur, in Deo poni non potest, cum in Deo non duo sint actus sed unus tantummodo isque infinitus.

Per modum operati dicitur processio in qua neque potentia invenitur neque actus duo realiter inter se distincti. Et talis esse debet processio divina ut, scilicet, actus qui procedit et actus ex quo procedit sint consubstantiales.

Quod tamen non sufficit ad ¹positivam quendam divinae processionis conceptionem efformandam. Quamvis enim schema quoddam praebeat quod tam potentiam ¹quam dualitatem excludat, hoc tamen schema adhuc vacuum est, cum nondum determinatum sit qualis esse possit processio quae per modum operati existat.